



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput LVIII. a Idem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)



## NOTÆ.

- I. a **I**dem.] Gregorius IX. videlicet, qui præsentem constitutionem edidit pro decisione illius casus, quando videlicet duobus concessa est facultas se ad invicem absolvendi à minori excommunicatione, utrum videlicet si ambo in eam incidant, possint ad invicem se absolvere? Eras.

ferit Gregorius, posse, quia cum excommunicatus minori excommunicatione tantum prohibitus sit à susceptione Sacramentorum, non verò ab eorum collatione, ut probavi in cap. *si celebrat*, de cleric. excommunic. cap. *significavit hoc titulo*; ideo qui excommunicatione minori ligatus est, potest socium eadem censurâ ligatum absolvere.

## CAPUT LVII.

a Idem.

**P**ermittimus Ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, januis clausis excommunicatis, & interdictis exclusis, Missarum solennia celebrare causâ conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

## NOTÆ.

- a **I**dem.] Gregorius IX. videlicet. Textum hunc exposui in cap. *quod in te, de pœnit. & remiss.*

## CAPUT LVIII.

a Idem.

**Q**uamvis incidens in canonem latæ sententiæ propter violentam manuum injectionem, juxta proprias facultates eis satisfaciatur, quibus injurias irrogavit: non tamen aliter quam per Sedem Apostolicam, vel ejus <sup>b</sup> Legatum absolutionis potest beneficium obtinere: nisi imminente mortis articulo, infirmitate e inimicitia, aut inopia, <sup>d</sup> puerili, vel senili ætate, fragilitate, <sup>e</sup> sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire: vel nisi juris beneficio a labore hujusmodi excusetur. Ceterum quibusdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant (exceptis pueris) sub debito juramenti (quod secundum Ecclesiæ formam præstare tenentur) consuevit injungi, ut impedimento cessante ad Apostolicam Sedem accedant, mandatum ipsius humiliter susceperunt.

## NOTÆ.

- a **I**dem.] Gregorius videlicet IX. qui etiam hanc constitutionem edidit pro explicatione canonis *Si quis suadente*, juxta suorum prædecessorum decisiones.

<sup>b</sup> Legatum.] Aliter videlicet, juxta tradita supra in cap. *ad eminentiam*.

<sup>c</sup> Inimicitia.] Ut probavi supra in cap.

<sup>d</sup> Puerili.] Juxta tradita in cap. *hoc tit.*

<sup>e</sup> Sexus.] Consonat caput *mulieres*, ubi probavi, *hoc tit.*

## CAPUT LIX.

a Idem.

**S**i quem sub hac forma verborum: *Illum excommunico; vel simili*, à iudice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, quæ à perceptione sacramentorum; sed etiam majori excommunicatione, quæ à communione fidelium separat, esse ligatum.

## NOTÆ.

- I. a **I**dem.] Gregorius videlicet IX. qui hanc novam edidit constitutionem; nam cum olim excommunicatio simpliciter prolata tantum de minori acciperetur, cap. *Engeltrudam* 3. *quest.* 4. cap. *cum excommunicato* 11. *quest.* 3. tamen ipse noviter statuit, ut si simpliciter excommunicatio proferatur, intelligatur de majori, quæ fidelium communione privat, & magis timetur; nam quælibet

dictio in potiori ejus significatione accipienda est. Glossa in l. 1. ff. de *V. O.* probant, atque explicant latè Balboa in cap. 2. de *except. ann.* numero 98. Gibalinus de *cenfur. disquisit.* 1. *questione* 2. Nec tunc obstat textus in cap. *de except.* lib. 6. ubi statuitur, reum excipientem advertus actorem de excommunicatione, exprimere debere speciem ipsius excommunicationis. Igitur quia simpliciter excommunicatio non accipitur pro majori. Cui difficultati, omissis traditis à Covar,